

DISSE^TRAT^IO ACADEMICA,

DE

NOVA STELLA MOBILI

A: NO 1781 A D: NO HERSCHEL DETECTA.

QUAM

CONS. AMPL. FACULT. PHIL. AB.

PUBLICE VENTILANDAM SISTUNT

CAROLUS FRIDERICUS MEINANDER,

PHIL. MAG.

ET

JOHANNES MOLANDER,

WIBURGENSES.

IN AUDIT. SUPERIORI DIE

1. Maii

1784.

H. A. M. S.

ABGÆ,

Typis Viduæ Reg. Acad. Typogr. J. C. FRENCKELL.

3.

NOVA STELLA MOBILI
A: NO 1781 A D: NO HERSCHEL DETECTA.

§. I.

Astronomiam, et si diversis temporibus, & imprimitis illis, quibus barbaries totam civitatem litterariam inundarat, varietate fatorum pressa sit, ab antiquissimis tamen protectam atque promotam, cultores ejus honore habitos, primosque hujus, ut & a liarum scientiarum instauratores, Divinitate donatos fuisse, annales litterarios vel leviter consulenti, patet. Historia enim temporum vetustiorum, Astronomiam iisdem magno in pretio fuisse, indubius nobis persuadet documentis. Ex illa, Reges & Magnates *Ægypti*, non, nisi hujus scientiae peritissimos in suum adoptasse confortium, comperimus. Reges *Lacedæmonis* Astronomorum utebantur consiliis, & *Alexander* ab *Aristotele* monitus fuit, ne quidquam in expeditionibus suis militaribus moliri auderet, antequam Astronomos consuluisset. Verissimum quidem est, quod præjudicia & præfagia in hac præprimis scientia olim valuerint; sed illis debemus, quod vera Astronomia maiores fecerit progressus. Iis enim non occœcati, sed veritatis avidi, suæ non pepercerunt operæ, ut illam in aprico ponerent. Historia recentioris ætatis, maximos viros, ob cultam doctrinam cœli, immortales fe-

se fecisse, abunde nos docet. Ex quo enim hæc scientia una cum aliis, detersa barbariei rubigine meliorem induere cœpit formam, suos non desideravit Patronos. Sunt mihi hanc perstrinxerunt materiem viri. Et quid impediret, quominus in hoc salo navigaturi longius procederent, cum aliarum ope scientiarum plura indies remota fuerint obstacula, quæ Aborigenibus nostris obstatuerunt. Sic exempli gratia, inventis, magisque perfectis instrumentis opticis, facilius erat corpora cœlestia a se invicem discernere, ac in eorum motus & mutationes inquirere.

Ad fastigium illud, quod jam tenet Astronomia, eadem evecta est, vel labore assiduorum Observatorum, qui cœlum oculis armatis peragrantes phænomenaque accuratissime notantes, historiam ejus perfecerunt, vel industria indefessorum Calculatorum, qui fixas indagarunt leges, quibus corporum cœlestium motus ac mutationes determinari possint. Nec defuerunt, qui calculi gnari, diligent ac sagaci oculo cœlum perlustrarunt, & sic theoria atque praxi auxilia trices sibi invicem præbentibus manus, in amplificanda Astronomia laborarunt. Tali modo adaucta est hæc utilissima generi nostro scientia, quam jam ad summum proiectam esse culmen, per maxima Mathematicorum & Astronomorum ad eandem perficiendam conamina, crederes. Multa vero in sublimi hac Philosophia mortalibus adhuc recondita esse, nova indies inventa satis superque testantur. Annales evolventes, quam lente cœli scrutatores in detegendis rebus

bus iisdem occultis ab initio processerunt, ibidem perspicient. Inventis vero firmissimis, quibus superstrueta est Astronomia fundamentis, & stabilitis immotis legibus, quas Incolae cœlestes in gyro suo se volventes, sequuntur, facilius humanæ perspicaciæ abscondita patefiebant. Quare etiam nostra tempora inventorum feracissima sunt, & memoriis eorundem adhuc illud D:ui HERSCHEL, viri Astronomiæ amantis, accedet. Hic HERSCHEL (a) Anno 1781 die 13 Martii vespero cœlum contemplaturus Telescopio reflexionis septempedum, ab ipso fabricato, fortuito quasi incidit in Stellam in Zodiaeo inter cornua Tauri & pedes Geminorum prope 132 Fixam Tauri, quam ob diametrum apparentem, qua Fixas superavit, & motum proprium intra paucos dies satis notabilem, ejusdem naturæ ac Planetas esse concludebat. Sidus hoc

Fixæ

(a) In Göttingische anzeigen von Gelehrten Sachen 126 Stück. 1782. relatum legitur, eum esse natione Germanum & nominari FREBR. WILH. HERSCHEL, & in Astronomisches Jahrbuch für das Jahr 1785. Berl. pag. 182. sequentes litteræ datae d. 2. Dec. 1781. Dni Schröter ad D:um Bode legendæ patent: "Der Name dieses wackern Mannes ist Friedrich Wilhelm Herschel. Er ist von Geburt ein Hannover und hat sich, nebst seinen beyden Brüdern, die als Kammar-musici in heisigen Königl. Diensten stehen, in seiner Jugend lediglich der Tonkonst gewidmet. Er verwaltet daher seit mehrern Jahren zu Bath, in England, das Amt eines Musicedirectors und steht zugleich nebenher einen Organistendienst daselbst vor. Unterdessen hat er sich von seinem wirklich originellen Genie angetrieben zu seinem Vergnügen auf ein Verfertigung starkerer als gewöhnlicher Spiegel teleskope gelegt und außer den in Ihrem Jahrbuch bemerkten Teleskop von 7 Fuss die dergleichen Newtonianisches von 12 Fuss Focallänge verfertigt, welche Beschäftigung ihn denn ganz natürlich auf das erhabene Studium der Sternkunde geleitet hat."

* * * *

Fixæ sextæ magnitudinis quoad lucem simile, & nudis oculis vix visibile, invenit, & quia nihil nebuloſi circa ſe habebat, Cometam non eſſe credidit. Versus orientem ſuum continuabat motum Eclipticæ parallelum, in latitudine Boreali 12 min. invariataſ tam fere declinationem Septentrionalem fervans. (b). Hoc fu- um inventum cum Astronomis communicavit, quos, ob longum temporis intervallum, nimirum ſeculum & quod excurrit præterlapſum poſt detectum a CASSINI quintum Jovis Satellitem, novitatis ſtudium, ad inquirendum, num Stella hæc eſſet Planeta vel alijs naturæ, excitavit. Quæ illi ad perficiendam ejus doctrinam fecerunt, ex scriptis, quæ mihi videre contigit, collecta, in ſequentibus paucis exponere mei erit negotii. Si hoc noſtrum institutum Tibi B. L. quodammodo prodeſſe poſſit, de quo in ſinu lătemur, abunde ſumus habituri.

§. II.

Astronomi, quorum circa Stellam *Herschelianam* obſervationes mihi innotuerunt, & quæ ad stabilien- dam ejus Theoriam egerunt, ſequenti ordine enumera- rari debent.

Regius Astronomus *Grenovicensis* MASKELYNE, quarta die poſt Stellam hanc detectam, ſcil. d. 17 Mar- tii 1781, eandem obſervare incipiebat, & inventum

A 3

hoc

(b) *Astronom. Jahrb. Berlin 1781 für das Jahr 1784.* p. 210; 211.

hoe cum D:no MESSIER Astronomo Regio *Parisienſi*, qui die 16 Apr. ejusdem Anni eam primum vidit, communicavit. Illi ad finem Mensis Maji ejusdem ascensionem rectam, declinationem & hinc longitudinem ac latitudinem diligenter notantes, motum ejus ortum versus, quo magis soli appropinquabat, celeiorem, sed eandem prope Diametrum apparentem, quæ erat 4 vel 5 sec., servantem, invenerunt. Lucem Jovi similem habebat. (a)

In medio Julii ejusdem Anni Astronomus *Academie Berolinensis* J. E. BODE eam in cœlo quæerre incipiebat. Ab initio mensis sequentis, hæc, Diametrum habens apparentem fatis notabilem, & Stellæ septimæ magnitudinis circiter æqualis, apparuit illi. Ut ejus loca melius determinare posset, mappam, viam Stellæ a 13 Martii ad 13 Sept., cum regionibus proxime jacentibus, monstrantem, in majori scala fibi formavit. In hac mappa omnes Stellas in Catalogis D:norum *Flamsteadi*, *Mayer* & *Messier* obvenientes accurate notavit, & in Nostram observare sollicitus fuit. Die 28 Aug. hæc innotuit illi, quæ se lentius ortum versus, quam ipse primum supposuit, movisset, in distantia unius gradū Boream versus perpendicularis in μ Geminorum & formans cum eadem & in ejusdem Constellationis Triangulum ad μ rectangulum. Suæ curiositati satisfacturus, motum Stellæ a d. 17 Martii ad 31 Jul. calculo quærebat, & eundem hoc tem-

(a) *Eph. Berol.* pro Anno 1784. p. 211, 212.

tempore a vero non magis aberrasse, quam $1^{\circ}, 10''$, inveniebat. Summa itaque ratione, postquam ostendit hunc motum Cometis non competere, eam Planetam esse credit & ulterius in naturam ejus inquirit, quæ omnia vel breviter heic adducere, prolongum foret. Laudatus etiam vir operam sibi summis inquirendi, num in Catalogis Fixarum D:norum *Tycho*, *Hevel*, *Flamstead* & *Mayer*, inveniretur Stella quædam quæ cum nova hac conveniret. Confert itaque omnes hisce Catalogis insertas Fixas cum illis in cœlo, & *Tychonem* observasse Stellam ad caudam Capricorni, quam deinde D:nus *Hevel* non reperiebat, animadvertisit. Convenit eadem quam proxime cum Nostra. Idem etiam observat de Fixa, quam D:nus *Mayer* 1756 in Amph. ad 348° , $0'$, $20''$. ascensionem rectam & $6^{\circ}, 2', 3''$ declinationem Australem, in catalogo suo collocavit, & quæ nunc in cœlo non invenitur. Has itaque Stellas ob plures rationes nostram fuisse, conjicit. Quæ jam brevibus attuli in *Eph. Berol.* pro A:no 1785. ipse D:nus *Bode* uberioris inferuit. In iisdem *Eph.* pro sequenti Anno, ulteriores suas observationes & resultata attulit. Secundum illas d. 25. h. 9 Dec. 1781 distantia Stellæ *Herschelianæ* fuit ab π , $2^{\circ}, 12'$, & a μ Geminorum $1^{\circ}, 3'$, unde longitudo ejus $2^{\circ}, 16'$ Cancer & latitudo $14' B.$ determinabatur. Postquam ejus Quadraturas & alias relationes ad Solem observaverit, aliam sibi fecit chartam loca Stellæ a 8. Maii 1782 ad 28 Jun. 1783 monstrantem, & secundum methodum D:ni KLÜGEL Prof.

Helmst.

Helmst. ex duobus locis Geocentricis quam proxime inveniendi orbitam Planetæ cujusdam superioris (b) quatuor locorum diversorum observationes, & quæ ab iisdem deducebantur resultata, inter se conferebat. Ex his medium sumens distantiam ejus = 18,938 & T. P. = 82 Ann. & 5 mens. supposuit, atque his positis fundamentis loca & motum ejus Heliocentricum, quem 100 Diebus esse $1^{\circ}, 12', 25''$ invenerat, calculavit. Quia latitudo Stellæ B. augebatur, eam a Nodo suo asc. removeri, pro certo duxit. Quod antea conjectit, nimirum Stellam hanc esse Planetam, jam plurimas & firmissimas ob causas in aprico positum esse conclusit. Eam Cometam non esse, ut D:rus Baro *Paccasi* supposuerat, a calculo in elementa ejus Parabolica, quæ ad Mens. Dec. 1782 usque ad 13° a veris aberrabant, instituta, confirmavit. Cum Stella *Mayeriana* supra nominata Nostram ulterius comparavit, & quia calculo inveniebat hanc cum illa quam proxime convenire, eandem esse collegit. (c) Supposuit quoque

(b) De Methodo hac in *Berl. Astron. Jahrb.* fur 1785 inserta nominare juvat, eandem admodum concinnam & concisam esse ad determinandum T. P. & distantiam Planetæ cujusdam a Sole ita remoti, ut angulus, rectus a Sole & orbita Telluris ad eundem ductus, interceptus, admodum sit parvus. Nixus observationibus D:ni *Maskeyne* pro d. 17 Martii & 28 Maii 1781 Stellæ nostræ orbitæ semidiametrum = 19,0096 (posita distantia Terræ a Sole = 1) & T. P. = 82,881856 Ann. computavit.

(c) In *Gött. anzeigen von Gelehrten Sachen* 126 Stuck. 1782. narratur D:rus Pr. *Lichtenberg* eandem fecisse conjecturam, & ingeniosissime ostendisse, cur hæc incognita fuerit Stella, & in *Eph. Berol.* pro 1785 p. 192 Litteræ d. 1 Sept. 1781. ejusdem argumenti, a nominato Professore ad D:rus *Kästner*, recensentur.

* * * * *

que Stellam *Herschelianam* eandem esse cum Fixa a
D:no de la Caille in catalogo ejus Zod. inserta sub 513
prope Arietem.

D:nus DARQUIER septem diebus mens. Jul. 1781
in Stellæ hujus Ascensionem rectam, Declinationem,
Longitudinem & Latitudinem observavit. (d) Nomi-
natus vir ulteriores quoque fecit observationes in ejus
Ascensionem rectam & Declinationem, quas quoad nu-
tationem & aberrationem correxit. (e)

Die 6. Dec. 1781 D:nus SCHULTZE Socius *Acad.*
S. & H. Berol. suas in Stellam hanc hucusque factas
observationes, quas insufficientes adhuc credidit ipse,
ad determinandum, num ad nostrum Systema Solare
vel aliud quoddam pertineat, in conventu Acad. re-
citavit. (f)

D:nus LEXELL Professor & Astronomus *Petrop.*
in peregrinatione constitutus sua *Parisiis* cum D:nis
Saron, *Boscovich* & *de la Place*, ad ejus determinan-
dam orbitam plures subduxit calculos, sed nihil certi
ob motum ejus lentissimum adhuc invenire potuit. (g)
Idem Celeberrimus Professor in litteris (h) datis Pe-
trop. d. ⁴₁₅ April. 1782, ad D:num *Bernoulli* quasdam
longitudines Stellæ nostræ secundum elementa Para-
B boli-

(d) *Berl. Astron. Jährb. für das Jahr 1784.* p. 220.

(e) *Ibidem für das Jahr 1785.* p. 214 - 216.

(f) *Upfostrings Sällsk. Tidn. 1782.* p. 30.

(g) *Ibidem 1781.* p. 379.

(h) *Berl. Astron. Jährb. für dass Jahr 1785.* p. 201. & seq.

bolica & Circularia calculata, misit. Quia elementa Circularia cum veris magis convenire perspexit, verosimillimum esse, hanc induere naturam Planetæ, in fine dicit Epistolæ. Ex pluribus observationibus inter se collatis, supposita orbita circulari, locum & intra 2° , 12° , & 2° , 13° , atque inclinationem Orbitæ inter $44'$ & $47'$, posuit.

HENNERT Matheos Professor *Ultrajectinus* in natura plures nominatæ Stellæ inquirenda diligenter laboravit. Postquam ab initio suæ inquisitionis in *Eph. Berol.* pro Anno 1785 allatae pluribus demonstrasset, Methodum indirectam, ob paucas adhuc factas observationes in Stellam hanc, aptiorem esse directa, ad invenienda loca & elementa ejus, observationes D:norum *Messier* & *Mechain* in Ascensionem rectam & Declinationem *Parisiis* factas, atque a D:no *de la Lande* sibi communicatas, examini subjecit. Primum a puncto oppositionis Dec. d. 21. h. 18. m. 3. 1781 in longitudinem Stellæ observare incipiebat, & distantiam ejus a Sole d. 3. Jan. 1782 esse $17,0729$, (media distantia Terræ a Sole sumta = 1 & supposita orbita circulari), ostendebat. In veritatem hujus rei ulterius indagaturus, idoneam ante oppositionem observationem nimirum illam d. 26 Maji factam elegit, & Methodo *Kepleriana* calculos subducens, distantiam inventam vera esse minorem, percepit. Quare arcum inter Diem observatam & oppositionem tamdiu minuit, quam distantiam = $18,83510$ inveniebat, & eadem assumta, paucas Stellæ longitudines calculavit, quas.

quas cum observationibus comparavit. Deinde, supposita distantia inventa, medium a duobus duxit resultatis & Nodum ascendentem in $2^{\circ}, 14^{\circ}, 30'$ ac inclinationem orbitæ $= 50^{\circ}, 55''$ posuit. Secundum hanc suppositionem latitudines ejus quasdam determinavit, & eas ab observatis ita aberrasse deprehendit, ut vel inclinatio minui vel longitudo α augeri deberet. A suis resultatis Tempus Periodicum $= 81,744$ Ann. deduxit.

D:rus MECHAIN *Parisiis Ascensionem rectam & Declinationem* hujus Sideris pro quibusdam Diebus Mens. Dec. 1781, Jan. & Febr. 1782, quas appartenentes, utpote quoad nutationem & aberrationem correctas, vocat, notavit. (i)

Abbas de St. JAQUES SILVABELLE Nostram cum parva quadam Stella proxima comparavit, & quantum illa hanc vel præcessit vel secuta est, observavit. Ejusmodi comparationes in Regio Observatorio Marin. *Massiliensi* diebus quibusdam Mensium Aug. Sept. Nov. 1781, Martii ac April. 1782 fecit. (k)

RÖHL Professor *Gryphisvaldiae* comparationes Hujus cum α , γ & μ Geminorum factas Diebus, quibus eandem videre potuit, Mensium Nov. & Dec. 1781, Jan. Febr. & Martii 1782, ex Diario habito in Observatorio *Gryphisvaldenſi* extractas, litteris ad Bernoulli misit. (l)

(i) *Berl. Astron. Jahrb. für 1785.* p. 217.

(k) *Berl. Astron. Jahrb. für 1785.* p. 218, 219.

(l) *Ibidem pro eodem Anno* p. 220 - 223.

Professor & Astronomus FRANC. WEISS ab Observatorio Budensi in *Ungaria* in ejus Ascensionem rectam & Declinationem paucis Diebus Mens. Jan. Febr. Martii, April. & Maii 1782. observavit. (m)

Ulteriores jam Laudatorum Virorum investigationes hujus Stellæ in *Ephemeridibus Berol.* pro Anno 1785. sequenti recensentur ordine.

Observationes D:ni MESSIER in Ascensionem rectam & Declinationem paucis Diebus Mens. April. Maii & Jul. 1781.

D:ni MAYER in Longitudinem & Latitudinem d. 4. Nov., 21 Dec. 1781. atque 1. Febr. 1782, qui oppositionem Stellæ inter 21 & 22 Dec. observavit, atque in eadem Longitudinem Heliocentricam & Geocentricam = $3^{\circ}, 0^{\circ}, 52', 24''$, Latitudinem = $15', 6''$ B.

D:norum DE LA LANDE & MECHAIN. Quorum Prior Loca Stellæ per 13 Menses calculavit, & eadem veris quam proxime congrua invenit, supposita distantia a Sole 18,931 (media Distantia Terræ a Sole existente = 1) & Revolutione Periodica = 82.37. Ann. Posterior Die 21 Dec. 18^h, 3^l, 1781. in Oppositione, sub Longitudine $3^{\circ}, 52', 13''$ & Latitudine $15', 15''$ Septentrionali eandem observavit. Notavit quoque Longitudinem Geocentricam 1782 d. 22 Julii 2^h, 46'' mane fuisse $3^{\circ}, 4^{\circ}, 42', 39''$ & $1', 56''$ majorem quam assumta Orbita Circulari esse debuisset.

D:ni

(m) *Eph. Berol.* pro Anno 1785. p. 224.

Dni *Inspectoris KóHLER* ex comparatione cum *Propode & n Geminorum* factas in Longitudinem 5.
Diebus Martii 1781, sub quo tempore Latitudo fuit
17°, 5''.

Dni *SLOPE Piscæ* in Ascensionem rectam, quæ
erat 93°, 2', 42'' & Declinationem 23°, 40', 40'', Die
25 Octob. h. 4. m. 12. s. 19. 1781.

Professoris *HENNERT* annotatio, quæ, eum as-
sumisse inclinationem Orbitæ & Longitudinem α , de
quibus jam mentionem fecimus, veris maiores, indi-
cat. Unde Orbitam circularem Eidem non esse pro-
priam colligit.

Quos jam enumeravī Celeberrimos Viros, qui
in indaganda natura hujus Stellæ desudarunt, exteri
fuerunt; sed nec patria nostra assiduos in eandem de-
sideravit Observatores.

D:rus *WARGENTIN Secret. R. A. S. H. & Eques de Stella Polari*, ab initio Sept. 1781 ex Observatorio *Holmieni* in eandem observare incipiebat, & proba-
bilissimis argumentis Eam esse Planetam, atque ad
Systema nostrum Solare pertinere, jam Anno 1782,
ostendebat. (n) Dolendum, quod per tanti patriæ
nostræ Decoris obitum, Astronomia unum ex summis
& in eandem meritissimis Patronis desiderabit.

Observator *Upsaliæ Prof. PROSPERIN* observa-
tionum suarum initium fecit ibidem ab eodem tempo-

B 3 re,

(n) *Upfostr. Sällsk. Tidn. för 1782. p. 85.*

re, quo D:nus *Wargentin.* Quod celeberrimus hic
Vir in perficienda doctrina hujus Stellæ defudavit in
Actis R. A. S. H. pro Annis 1782 & 1783. allatum le-
gitur. Dum in sequentibus de elementis ejus locu-
tari sumus, ejus calculos recensendi, occasio nobis
præbebitur.

§. III.

Si observationes jam laudatorum virorum inter-
se conferantur, & resultata, quæ ex iisdem eruuntur,
examini subjiciantur, facilissimo invenietur negotio,
cujusnam indolis sit Stella nostra, & an in numerum
Planetarum Solem nostrum circumvolventium sit re-
ferenda. Quod primum nobis ob oculos ponitur, est
ejus motus, quem fieri ortum versus, secundum ean-
dem seriem Signorum, ac reliquorum Planetarum,
ex observationibus constat. Ob ingentem ejus di-
stantiam a Sole lentissime, sed easdem servans appa-
ritiones Observatoribus in terra collocatis ac alii Pla-
netæ, ut nimirum, quando oppositioni appropinquant
stationarii, postea majori celeritate retrogradi usque
dam post oppositionem celeritas eadem diminuitur
proportione ac antea augebatur, deinde iterum sta-
tiouarii & tandem directi videantur, movetur. Has
inæqualitates in motum Stellæ *Herschelianæ* quadrare
cuicunque in longitudinem ejus Geocentricam anim-
advertisenti, patebit. Deinde nobis dispiciendum est,
in quanam Orbita hunc suum peragat motum. Va-
rias

rias Astronomi tentarunt curvas ad veram invenientiam. Motum ex. gr. æquabilem vel in Circulo fieri supposuerunt. Secundam hanc hypothesin ejus calcularunt elementa, & eadem cum observationibus compararunt, ut, nisi ejus rotationi conveniret circulus, differentia harum ab illis, quænam curva esset proprior, invenirent. Hoc posito fundamento, ab observationibus dierum 16 April. & 22 Maij 1781 radium arcus circuli, quem hoc tempore describeret = 18,9566, dierum 16 April. & 30 Sept. = 18,8968, dierum 16 April. & 9 Dec. = 18,8886, 16 April. & 14 Febr. 1782 = 18,8706, (posita media distantia terræ a Sole = 1,) deduxit Pr. PROSPERIN. His inter se collatis, nimirum primo cum ultimo & tertio cum eodem, priori in casu radium vectorem in uno gradu

Anomoliæ veræ $\frac{I}{357}$ sua parte diminutum fuisse &

posteriori $\frac{I}{428}$ perspicitur. Ex hac radii vectoris variatione, Stellam nostram in circulo suum non confondere gyrum, prono fluit alveo. Cum itaque hæc curva ejus veris elementis congrua non erat, num Parabolica esset ejus via tentare consultum duxit nominatus Celeberrimus Professor. Quare primum celeritatem motus & in Circulo & in Parabola cum vera comparavit. Eandem in circulo veræ quam proxime convenientem, dum in Parabola uno circiter anno magis quam duo gradus veram excedebat, comprehendebat. Hoc ex capite elementa Parabolica Nostræ non

non esse propria, ostendit. Ut vero sese ulterius de veritate hac certiorem faceret, sequentia ejus elementa & Circularia & Parabolica calculavit.

Hæc ex observationibus dierum 17 Mart. & 30 Sept. 1781, atque 27 Febr. 1782 deducta, erant

Locus nodi ascend. - - - - - $2^s, 12^o, 33', 6''$. 4

Inclinatio orbitæ - - - - - $0', 0, 46, 3.$ 2

Locus Perihelii - - - - - $5' 24, 58, 22.$

Tempus transitus a d. 17 Mart. 33 $\frac{1}{2}$ 6,543 Dies.

Distantia Perihelii a Sole = 10.131243.

Illa ex observationibus dier. 17 Mart. 1781. & 27 Febr. 1782. eruta, erant

Locus nodi ascend. - - - - - $2^s, 13^o, 21', 45''$. 6

Inclinatio - - - - - $0, 0, 48, 23.$

Locus Helioc. stellæ in orbita d.

17 Mart. 1781 - - - - - $2, 27, 31, 5.$ 1

Radius Circuli - - - - - $18, 87791$

Utrisque his elementis nixus longitudines & latitudines Stellæ a die 17 Martii 1781 ad 8 April. 1782 computavit & cum observatis comparavit. Longitudines, supposita orbita Parabolica usque ad $3', 41''$ a veris aberrabant, dum eodem tempore maxima differentia in circulo erat solummodo $56''$. Quoad parvam inclinationem orbitæ latitudines erant pæne eædem. Hinc, postquam pluribus de differentia motus in Circulo & Parabola in *Actis R. A. Sc. H. pro An. 1782. Jan. Febr. & Martii p. 72, 73.* monet, nobis,

bis, viam Parabolicam nostræ non competere, indu-
biis persvadet argumentis, & inde etiam eam come-
tam non esse firmissimis adductus rationibus conclu-
dit. Hæc posterior veritas inde adhuc confirmatur,
quod Stella nostra nulla circumdatur nebula, quæ
cometas comitari solet.

§. IV.

Cum itaque nec elementa Circularia, nec Para-
bolica cum veris convenient, tentandum erat, num
eiusdem generis curvam, ac reliqui Planetæ, in mo-
tu suo periodico circa Solem, describeret. Diminutio
Radii vectoris, quæ non tanta erat, ac in Parabola
fieri debuisset, luculentissimo nobis est indicio, orbis
tam stellæ nostræ excentricitate gaudere, & eandem
ideo in ellipsi moveri. Ad determinandam indolem
hujus Ellipseos tres radios vectores satis a se invicem
distantes cum angulis interceptis notos sibi habere oportet.
(a) Hos ex observationibus Astronomorum quæ-
rere, & ex iis deinde limites curvæ designare, super-
vacaneus nobis esset labor, cum jam Dominus Prof.
Prosperin tanta illud peregit accuratione, quanta sie-
ri potuit. Nobis paucis folummodo recensere, quæ
in *Actis Regiæ Acad. Scient. Holm.* pro A:no 1783. i-
pse sufficientius illustravit, sufficiet. Sequenti pro-
cessit modo. Radios vectores parvo temporis inter-
vallo uniformiter minui supposuit, & motu stellæ ex-
istente directo, duas elegit observationes 4 vel 6 septim.
a se invicem dissitas. Arcum inter loca hæc adhuc

C

sup-

(a) Si sc. ejus determinatio fiat secundum Probl. infra notandum.

supposuit Circularem, & ejus calculavit radium, quem
 veræ distantiae stellæ a Sole pro medio inter utramque
 observationem tempore æqualem posuit. Deinde ope
 hujus radii ad Eclipticam reducti, cognita distantia Ter-
 ræ a Sole & inventa elongatione Stellæ ab eodem,
 angulum calculavit commutationis & sic facilime lo-
 cum Heliocentricum nostræ in sua orbita determi-
 navit. Tali modo ex observationibus dierum 27 Martii & 1 Maii 1783 distantiam Stellæ a Sole = 18,838²
 & locum Heliocentricum in 3°, 6°, 39' 23" d. 13 A-
 pril. 20^h, 57' 16" 1783 Temp. med. ad merid. *Paris.*
 atque ex observationibus dierum 14 Martii & 7 Maii
 1782 distantiam = 18,8710 & locum in 3°, 2°, 11' 43"⁴
 d. 10 April. 9^h, 8', 38" ejusdem Anni T. m. ad m. P.
 computavit. Ad inveniendum tertium radium vecto-
 rem, differentiam locorum *Paris.* a Domino *Messier*
 diebus 16, 17, 18 & 19 Apr. observatorum, ab illis, quæ
 pro eodem tempore ex elementis Circularibus Ipse eru-
 erat, notavit. Medium hanc differentiam a loco Geo-
 centrico, secundum elementa Circularia pro 16 April.
 invento subduxit, & residuum veram Stellæ longitu-
 dinem Geocentricam supposuit. Ulterius distantiam
 ejus a Sole eodem die = 18,905, assumfit. Hinc Stel-
 læ locum Heliocentricum in sua orbita esse in 2°, 27°,
 52", 0" deduxit. Sic invenit tres radios vectores.
 Postquam differentias longitudinum pro tribus jam
 nominatis diebus nimirum 16 April. 1781, 10 April.
 1782 & 13 April. 1783. cum præcessione Äquinoctior.
 minuerat, tres radios vectores cum angulis interce-
 ptis

ptis sibi notos habebat, ex quibus secundum Problema HALLEIJANUM (a) Sectionem Conicam eos terminantem, calculavit. Sectionem hanc Ellipsin esse invenit, cuius

Semiaxis major	- - - - -	19,253°
Excentricitas	- - - - -	0,0305125
Distantia observationis primæ a Perihelio	= - - - - -	46°, 19', 50''.

Si ultimus radius vector rite assumtus fuisset, his nixus elementis, ex differentia anomaliæ mediæ cum tempore inter primam & ultimam observationem interlapso collata, Semiaxem majorem jam invento æqualem, calculo invenire debuisset. Excedebat autem ille hunc, quare distantiam 18,905 ad 18,9033 minuit, unde Semiaxis major = 18,94349. Idem vero ex differentia Anomaliæ mediæ obtinetur = 18,94401. Medium ex duobus his 18,94375 veram orbitæ Semiaxem majorem esse assumfit. Quæ itaque sensim nobis fese insinuavit opinio, nimirum Stellam hanc mobilem esse Planetam jam ex orbitæ ejus natura extra omnem dubitationis aleam est posita. Quod quoque ad Systema nostrum Solare pertineat, & inter Planetas primarios sit numeranda, ex motu ejus circa Solem utpote centrum virum secundum eandem legem ac Planetarum reliquorum abunde constat.

C 2

§. V.

(a) Problematis hujus novam dedit constructionem D:rus NICOL: LIC in *Memoires de l' Academie Royale des Sciences* p. 291, & in *Novis Actis Upsal. Vol. III.* p. 257. illud, generalius & usibus Astronomicis accommodatius a D:no PROSPERIN solutum, legitur.

§. V.

Restat jam, ut reliqua ostendamus orbitæ hujus Ellipticæ elementa. Diversis modis illa inventari possunt, sed quia in animum induxi alio tempore vires periclitari meas in invenienda excentricitate orbitæ Novi nostri Planetæ methodo a jam nominata diversa, quando occasio mihi præbebitur ab eadem inventa varia deducere conjectaria, heic folummodo paucis, quæ secundum Problema in paragrapho præcedenti noninatum, posita Semiaxe majori 18,94375, Prof. *Prosperin* invenerat, recensere juvabit. Ad inveniendam inclinationem orbitæ una cum loco Nodi, usus est observatione D:ni *Messier* d. 18 April. & sua d. 1 Maji 1783. quibus per medium latitudines Geocentricæ sunt 0° , $11'$, $57''$, 5 & 0° , $18'$, $23''$. Ut quam proxime determinaret locum Aphelii, ex pluribus observationibus *Holmiae* & *Upsaliæ* factis oppositionem Planetæ die 26 Dec. 9° , $13'$, $49''$ Temp. m. ad merid. *Par.* 1782. incidere calculavit. Quo temporis momento longitudine Heliocentrica & Geocentrica erat $= 3^\circ$, $5'$, $20'$, $19''$ & reducta ad planum orbitæ $= 3^\circ$, $3'$, $20'$, $25''$. Tunc secundum elementa ejus anomalia vera est $= 101^\circ$, $27'$, $23''$ unde longitudine Aphelii determinatur. His nixus sequentia computavit novi Planetæ nostri elementa Elliptica:

Locus Ω d. 1 Jan. 1781	- - -	2° , 12° , $10'$, $34''$
Inclinatio orbitæ	- - - -	0° , $45'$, $26''$.
Locus Aphelii d. 1 Jan. 1781	- -	11 , 23 , 51 , 22 .
Anomalia media eod. temp.	- -	3 , 5 , 20 , 56 .
		Epo-

Epocha transitus per Aphelium
Anno 1757 d. 22 Sept. 16 h. 48. m. t. m. Par.
per Perihelium.

A:no 1798 d. 14 Dec. 20 h. 33 m.

Semiaxis major = - - - - - 18,94375
Excentricitas = - - - - - 0,43393
Eadem in part. sem. maj. = - - - 0,0229063

Tempus Periodicum siderale = 30116,302 Diebus,
qui efficiunt Annos Anom. siderales 82,45151

Et Annos communes, (quorum quartus quivis est bisextilis) - - - 82,454

Planeta itaque hic duplo majori distantia quam
Saturnus a Sole est remotus, & majori gaudet ex-
centricitate, quam Terra & Venus, minori autem
quam reliqui.

Secundum hæc elementa 214 longitudines Plane-
tæ calculavit & cum observatis comparavit.

Tres differunt supra 40"

15 inter 31" & 40"

29 inter 21 & 30

63 inter 11 & 20

& 103 inter 1 & 20.

In latitudinibus, quas unam pro quacunque men-
ſe calculavit, maxima differentia positiva est 0".24
& negativā 0".6.

Quam proxime itaque elementa a Celeberrimo
D:no Professore inventa cum veris convenient, & ad

majorem adhuc accusationem, quando Planetæ nostro longiorem percurrere arcum datur, facilime redigi possunt.

§. VI.

Antequam finem his pagellis imponimus, de nomine, quod Astronomi huic systematis nostri solaris incolæ tribuere voluerunt, paucis monere juvabit. Cum jam in numerum Planetarum Primiorum receptus sit hic Noster, necessarium etiam videtur, ut certo quodam nomine & signo hieroglyphico æque ac alii insigniretur. Sed hac in re non adhuc conveniunt ejus observatores. Voluit ipse inventor, ut *Georgium Sidus*, quia imperante Rege GEORGIO Angliae detectum fuit, appellaretur. D:ni Röhl & Köhler nomen *Urani* illi aptissimum esse crediderunt, & D:nus Prof. Prosperin ingeniosissime nobis insinuat nomen *Neptuni*, cuius Tridens ejus esset signum hieroglyphicum, quia in *Anglia* huic Numini imprimis addicta & tempore, quo Oceanus navibus magis quam antea turbatus fuit, primum observabatur.. Sub judice itaque adhuc haec est lis, quare communi Astronomorum consensi eandem dirimendam relinquimus.

